

de Pulka super primam Epistolam ad Corinthios pertractata. Placet hic olim in scholis Vindob. servatus institutionis mos, ut explanato primum sacri Libri sensu Quaestiones, quae ex eo nasci possunt, five dogmaticae, five morales, five liturgicae, five canonicae deinceps moveantur et explicentur. Dubia nostra incipiunt fol. 3. *Quia in singulis epistolarum salutacionibus apostolus optat gratiam et pacem, ideo de his pertinenter tractandum est et pro nunc de pace &c.* Fol. enim 1. et 2. habentur quaedam Extrema Dubiorum in Epistolam ad Rom. Pars haec prior sistit in Dubio 1. circa Caput 12. ad 4° notandum.

CCXI.

U. 185 Codex iterum praecedenti geminus, Folior. 313. inscribitur *Secunda pars dubiorum &c.* et incipit a 4° illo *Notando*, pervaditque totam Epistolam. Dubium ultimum est de Conditione Beatorum, cui haec subjuncta est clausula miniata: *Hec fuit ultima lectio venerabilis olim Magistri petri cui retribuatur altissimus resurgere in sorte beatorum omnium.* Rubricas ab alio adscriptas fuisse mihi persuadeo; Textum enim ipsum spissorum horum Voluminum a propria Autoris manu profectum esse docent liturae, emendationes et subpletiones passim obviae.

CCXII.

U. 157 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 298. f. currente calamo

per duas columnas exaratus, et, ut praefertur, *librarie collegij beate virginis ad rubeam rosam* additus a *Testamentarijs artium et sacrarum litterarum professoris Magistri Cristanni de Hurben*, five *Horb Sueviae*, Canonici et Decani *D. Stephani*, Academiaeque a. 1443. Rectoris, qui a. 1467. e vivis excessit, continet: I. *Leituram* scholasticam in I. D. *Pauli ad Corinthios* praemisso solito Argumento: *Corinthij sunt achaici &c.* quae incipit: *Paulus vocatus apostolus — Hec epistola quam apostolus scribit corinthijs primam, diuiditur in quatuor partes principales, in prima ponit salutacionem &c.* Et finit: *homicidium tamen primum locum tenet in penis inter peccata in proximum commissa. et tantum breuiter dictum sit ad istud dubium et de tota presenti epistola. Gloria Deo et omnibus sanctis. Amen. Anno Domini MCCCC° 32° circa festum d. colo. quod aut Colomanni aut Decollationis esse possit.*

II. fol. 131. succedit similis *Leitura in Salomonis Parabolas*, praeuia *Hieronymi* nota Epistola: *Jungat epistola quos iungit sacerdocium &c.* Initium est: *Parabole salomonis filij dauid — Antequam ad diuisionem libri procedamus, est sciendum, quod aliqui dicunt, quod iste liber ordinate conscriptus fuit a salomone usque ad XXIV. capitulum &c.* Definit: *quod manifestum est cuilibet inspicere volenti. An Cristannus, ut tunc scribere amabant Christianum, possessor tan-*

tantum, an vero autor etiam horum Commentariorum fuerit, pronuntiare non possum.

CCXIII.

U. 154 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 454. f. per duas columnas, non eadem manu, maximam tamen partem probe scriptus, minioque distinctus in fol. praevia haec verba habet: *Ex testamento magistri Nicolai de Kreytznach arcium theologie et Decretorum professoris.* Gessit vero Vir iste inter annos 1468—81. ter supremum Academiae Magistratum, annoque 1491. defunctus est, unde sequentis *Lecturae in Pauli Epistolas Secundam ad Corinth. ad Galat. ad Epbes. ad Coloss. duas ad Thessal. ad Titum et Philemonem* autor esse non potest. Dicitur enim mox in ingressu primae Lectionis: *Harum epistolarum duas exposuit in hijs scolis Venerabilis sacre theologie professor Magister petrus de pulka felicitis recordationis epistolam scilicet ad romanos et primam ad Corinth. Quare incipiendo ubi ipse dimisit, cogitavi secundam epistolam ad Corinth. aggredi.* &c. Si Codicem Univ. 45. in consilium adhibeas, loquitur hic *Nicolaus de Dinkelspühl, Petri* successor, qui lectionem usque ad *Epistolam ad Epbes.* perduxit, cathedramque dein cessit *Petro Reicher de Pirchenwart* pollicito, se et hanc, et sequentes deinceps *Epistolas* expositurum. En igitur duorum Virorum labores, qui *Nicolaum*

Crucenacensem, de quo videri potest *Tritbemi* in *Catal. illustr. Viror. Germ. fol. 55.* aetate multum praecessere. *Lecturam in Secundam ad Cor.* orditur *Conspectus Quaestionum* in ea tractatarum; ejus vero initium est: *Apostolus paulus 14 scripsit epistolas &c. Quaestiones ad Lecturae calcem expediuntur.* Idem ordo *ad Galat.* Sed deinceps nulli *conspectus*, nullae post singulas *Epistolas Quaestiones*, fol. tamen 392. ad calcem *Epistolae ad Philem.* omnes congestae. Unde vel e diverso hoc tractationis modo diversi *Autores*, prior *Nic. de Dinkelspühl*, alter *Petr. de Pirchenwart* agnoscuntur.

Codicem postice vestit *Membrana integerrima data: Wienne patauien. dioc. Anno domini 1461. Indiſt. 9. die vero 13. Aug. Pontificat. Pij Secundi Anno Tercio, qua Bessarion Ep. Tusculanus Cardinalis Nicenus vulgariter nuncupatus in partibus Alamanie et Germanie locisque omnibus in eisdem Sacro Romano imperio subiectis Apostolice Sedis de latere legatus Henricum Triburgker clericum Maguntinen. dioc. et perpetuum beneficiatum ad altare S. Martini in ecclesia S. Stephani alias omnium sanctorum Opidi Wienn. Patauien. dioc. ab irregularitate, iniuncta tamen primitus penitencia salutaris absolvit. Percusserat alienigena hic, ut ad nos confluere solent, causa recreacionis et solacij una cum alijs clientibus et socijs serotino tempore in opido Noueci-*